

Cum auctor uniuersae propemodum Europae regna tractet resque publicas; tabula V. huc pertinet, ubi Principum Germaniae dedit, ubi principatus *Würtemberg*, *Baaden*, *Palatinum*, *Hassiam*, *Brandenburg*, *Saxoniam*, *Anhalt*, *Brunswic*, *Hollstein*, *Mecklenburg* tractat sigillatim. Promittit ubique rationes commerciorum, utilitatum, praetensionum, foecunditatum aeris ac terrae, vitiorum virtutumque in aulis, curiis, scholis, templis, & quae sunt huiusmodi. Cum satis animi pro fide habeat auctor, inter peregrinandum plura animaduertit prodiditque, quae non spernenda sunt. Administrarum alii de assentatione queruntur, alii de maledicentia. Operam uero in patriae rebus curatiorem, qui expectes ab hospite peregrinatore?

XXXIX. *Cosini van SIMERN* Historico-Geographica per orbem uniuersum. Absoluunt haec 15. volumina in fol. MSct.

Obstupui nuper, cum amicus mihi pro centum aureis hunc offerret adparatum. Pars 1.) *Asiam*, *Africam* & *Americam* absoluit. 2.) *Graeciam*, *Candiam*, *Cyprum*, *Rhodum*. 3.) *Hispaniam*, *Lusitaniam*, *Nauarram*. 4.) *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniamque*. 5.) *Belgium*. 6.) *Galliam*, *Burgundiam*, *Lotharingiam*. 7.) *Moscouiam*. 8.) *Sueciam*, *Gottlandiam*, *Finlandiam*, *Lapponiam*, *Careliam*, cetera. 9.) *Poloniam*, *Lithuaniam*, *Russiam*, *Podoliam*, *Wallachiam*. 10.) *Bohemiam*, *Silesiam*, *Imperiumque Romanum*. 11.) *Liunioniam*, *Curlandiam*, *Porussiam*. 12.) *Holsatiam*, *Slesuicum*, *Ditmarsiam*, *Stormariam*, *Daniam*, *Norwegiam*. 13.) *Marchiam Brandenburgicam*, *Mecklenburg*, *Pommern*, ceterosque *Saxoniae inferioris principatus*. 14.) *Alsatiam*, *Ratisponam*, *Spiram*, *Wormatiam*, *Trier*, *Coelln*, *Meintz*, *Cleue*, *Iulich*, *Bergen*, *Westphalen*, *Osnabriugg*, *Minden*, *Oldenburg*, *Braunschweig*, *Lüneburg*, *Magdeburg*, *Anhalt*, *Thüringen*, *Meissen*, *Sachsen*. 15.) *Locupletissimum* exhibet omnium voluminum indicem. Legi relegique lucubrationem. Auctor certe nullis sumtibus ac operis pepercit, ut opus suum perficeret. Manu sua tabulas pinxit Geographicas insigniumque imagines urbiumque. Verum enimuero cum hodie illa omnia litteris publicis exscripta sint: operae pretium non